

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.
0530

0528

0534

0524

descensum adscendimus per rupes de torrente et in locum
virgultis et virentibus arbustulis repletum venimus, per quem
euntes in campum venimus arenosum, in quo multa vestigia
hominum, camelorum et asinorum nova sabulo impressa vidi-
mus. Erat autem campus ille circumdatus arbustis et fructi-
bus et in eo erant multi putei et foveae aquarum, quas ut
vidimus, de asinis prosiluimus et laetati fuimus pro aquarum
inventione. Accurrimus autem ad proximam foveam et situ-
lam de corio factam, quam Arabs noster secum ferebat, sub-
misimus et aquam hausimus crassam et turbidam, de qua cum
bibere vellemus, gustavimus aquam esse salsissimam, ac si
de mari esset hausta, quam nec asini nostri bibere poterant.
Quando autem vultu turbato Arabem ductorem nostrum respi-
ceremus, ac si nos delusisset et gratis circumduxisset, dedit
nobis signum, ut etiam alios puteos gustaremus et aquam
dulcem quaereremus. Accessimus ergo ad alium puteum et
hausta aqua insipida quidem fuit, sed non adeo amara, ut
prima; sic per singulas foveas cucurrimus et aquam pro be-
stiis invenimus, sed pro nobis non erat aqua in puteis. In-
cepit autem Arabs fodere et arenam manibus ejicere in quadam
fovea sicca non profunda, quam nos invenimus, et dum pau-
lulum fodisemus, ebullire coepit aqua turbida quidem, sed
dulcis, et de illa amphoras nostras replevimus et ventres no-
stros, nihil curantes de turbatione ejus. Sic quilibet sciens
campum illum fodit sibi propriam foveam, quia aqua fundi
dulcis est, sed dum solis calor in puteos splendet, reddit eam
salsam, ideo in puteis fossis non reperimus nisi aquam salsam.
Si autem putei essent in altum defossi et muris inclusi et a
solis calore protecti, credo, quod potabilis et bona aqua ib
esset. Satis mirabile est, unde aquam habeat humus illa
arenosa. De Neptuno, maris deo, miramur, quod postquam
filiam Danai liberavit in deserto a Satyro et eam cognoverat,
in loco oppressionis virginis tridente percussit terram et fons
erupit; hic vero nec tridente usi, nec ligone, manibus fontem
fecimus. Hic amarissimas aquas invenimus in fontibus, simi-
les aquis fontis dicti Exampeus, qui est apud Caliopados; hic
adeo emitit amaras aquas, ut fluvium, in quem labitur, om-
nem amarum reddat. E contra fons est, dictus Alis, qui in

33 *

Ende

Anfang